

**ACTA TRIBUNALIUM SANCTAE SEDIS
Supremum Signaturae Apostolicae Tribunal**

3 ianuarii 2007

Prot. n. 38964/06 VT

Quaesitum

Excellentissime Domine,

instantia diei 14 septembris 2006 exposuisti casum concretum matrimonii a muliere baptizata orthodoxa sine ritu sacro initi et quaesivisti ex H.S.T. utrum, hisce in casibus, «*une investigation prématrimoniale* ad normam cann. 1066-1067 *suffirait pour établir le status liber*» an «*s'il faut traiter le cas selon les règles d'un procès ordinaire* ad normam cann. 1671-1685 *ou bien comme un procès documentaire* ad normam cann. 1686-1688».

Attento quod actus iuridicus praesumitur validus tantum si quoad sua elementa externa rite positus sit (cf. cann. 124 §2 CIC; 931 §2 CCEO), quodque igitur illud matrimonium favore iuris, de quo in cann. 1060 CIC et 779 CCEO, non gaudet cuius forma celebrationis, certo ad validitatem requisita, penitus omissa fuerit;

visis can. 781, n. 2 CCEO et art. 4 §1, n. 2 Instr. *Dignitas connubii*;

prae oculis habitis, ex analogia, tam interpretatione authentica d. 26 iunii 1984 ad can. 1686 CIC quam can. 1372 §2 CCEO,

haec Signatura Apostolica supra relato quaesito ita respondendum censet:

Huiusmodi casum solvendum esse ab Ordinario loci, vel a parocho, consulto Ordinario, in praevia investigatione ad matrimonium celebrandum.

Quod si dubium oriatur num matrimonium ritu sacro celebrari non potuisset sine gravi incommodo, num una saltem pars acatholica Ecclesiae orientalis tempore celebrationis matrimonii reapse baptizata fuisset, vel aliud huiusmodi dubium, res remittenda est ad competens tribunal.

Occasionem nactus, cuncta fausta Tibi adprecor
addictissimus

Augustinus card. VALLINI, *Praefectus*

† Velasius DE PAOLIS, *Secretarius*